



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3. Qui sint futuri mores eius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

nistris, & exercitiis eius, qui fortasse interficiuntur aliquibus mensibus ante Antichristum. Aut certe per metaphoram dicamus significatam esse acerbissimam illius stragis. Est ergo res hæc valde lubrica, & incerta. Vnde satis constat, quid respondendum sit interroganti, quando venturus sit Antichristus. Dicendum est enim tam incertum hoc esse; quam est incertum, quando futurus est dies iudicii, solumque affirmari posse, futurum prope diem iudicii.

Dubium.

Quæri verò hic ulterius potest, unde venturus, seu ubi sit nasciturus, & ex quo genere, & quibus parentibus: hæc enim omnia antiqui Patres inquirunt. Et quidam dicunt nasciturum Babylone, ut Autor operis de Antichristo, nomine Aug. & Hieron. Dan. 11. & Anselm. in Elucidario. Lactantius vero libr. 7. capit. 17. dicit oriundum ex Syria. Rursus affirmant generandum esse ex fornicatione, Damasc. supra, & Anselmus. Tandem docent generandum esse ex ludæis parentibus, & multi efficiunt futurum ex Tribu Dan. ita interpretantes prophetiam illam Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, levasset in semita, & illud le-*

Genes. 49.

Ierem. 8.

rem. 8. ex Dan ad: *uimus fremitum equorum.* Et propter hanc causam existimant Ioannem in Apocalypsi. capite 7. omisisse Tribum Dan, in odium nimirum Antichristi. Atque ita sentiunt Iren. & Damascen. locis citatis, Beda, Rupert. & Anselm. Apocalypsi. 7. Theodor. quæst. 109. in Genesim, Ambros. libr. de benedictionib. Patriarch. capit. 7. Augustin. libr. quæstionum in Exod. quæstion. 22. & in tractat. de benedict. Patriarchæ Iacob (qui nomine eius circumfertur tomo 3.) Prosper in dimidio temporis, capit. 9. Gregor. 31. Moral. capit. 18. Eucherius, & alij, quos refert Lipomanus in catena super Genesim. Hæc verò omnia incerta sunt, cum neque ex scriptura, neque ex alia divina revelatione nobis tradita, sufficienter colligantur. Illud tamen inter omnia verisimilimum est, futurum scilicet Antichristum Iudæum & origine,

Iren.

Apocal. 7.

Damasc.

Beda.

Rupert.

Anselm.

Theodor.

Ambr.

August.

Greg.

Eucher.

Lipoman.

& professione, ut præter citatos affirmant Hierony. Daniel. 11. Ambros. 2. ad Thessalonicens. 2. qui aperte dicit, Antichristum futurum circumcisum, & Senecus Sulpitius lib. 2. Dialo. ait, illum imperatorem, ut omnes circumcidantur. Coniectura autem est, quia (ut infra ostendimus) ipse in principio suadebit ludæis se esse Messiam, ipseque eum recipient iuxta illud Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Nam ut ait Paul. 2. ad Thess. *Quia veritatem recipere noluerunt, mitter illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio:* non est autem verisimile recepturos Iudæos in Messiam nisi Iudæum hominem, & circumcisum. Ex qua autem Tribu futurus sit, incertum est, tum quia locus ille Gen. ad literam de Samsone explicatur à Hier. in traditionibus Hebraicis, quia reuera ibi Iacob non videtur mala: sed bona potius predicere. Tum præterea quia tempore Antichristi tam confusæ erunt tribus Iudæicæ, sicut nunc sunt. Vnde vix poterit hominibus constare, ex qua tribu ortus sit. Atque ideo credibile est, quod ait Cyril. Iero. cat. 15. studiosissimū futurum Antichristum templi Ierosolymitani, ut ipse de progenie David esse videatur, qui templum, solum à Salomone extructum, ipse sit edificaturus, ut nimirum pro Messia haberi, ac recipi possit. An verò nasciturus sit, ex impuro, atque illegitimo thoro, magis incertum est: facile tamen credi potest tam iniquū hominem, tamque Christo contrarium, turpissimam habiturū originem, & sicut Christus de purissima Virgine conceptus est; ita illū ex impurissima femina fore generandū. Atque ex ijs omnibus confici potest nova ratio ad ostendendū nondum Antichristum venisse. Quia nullus Iudæus homo, quique à ludæis pro Messia susceptus sit, temporale regnum obtinuit, aut Ierosolymitanū templum instaurare potuit. Ac similes rationes sumi poterūt ex his omnibus, quæ de vita, regno, ac persecutione Antichristi dicturi sumus.

*Antichristus
& genere
& professione
Iudæus.
Hieron.
Ambros.
Scilicet.
Sulpit.
Ioan. 5.
2. Thessal. 2.*

*Cyrril.
Ierosolym.*

Vna vero obiectio superest soluenda, quæ superius indicata est, ex Paulo 2. ad Thessal. 2. dicente de Antichristo, *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Nam si iam tunc operabatur: ergo iam erat. Vnde & Ioan. 1. canon. capit. 4. ait, *in mundo est.* Respondetur ex ipso contextu euidenter constare mentem Pauli. Nam, ut Thessalonicenses liberet metu instantis iudicii, docet eos, prius venturum Antichristum, qui nondum venerat. Cum ergo ait, *Mysterium iam operatur iniquitatis,* non loquitur de persona Antichristi: sed de membris eius, ut sunt hæretici, & tyranni, qui eodem spiritu aguntur, & iam tunc operabantur, quod ipsa persona Antichristi regetur. Et eodem modo ait Ioannes, Antichristum iam venisse secundum eam participationem, ratione cuius *Antichristi* vocantur omnes illi similes, seu (quod idem est) dicitur venisse non in persona: sed in spiritu. Sicut Matt. 17. dicit Christus, venisse Eliam, quia Ioannes Baptista venerat in spiritu eius. Ita exponunt super hæc loca Chrys. Ambr. August. & alij Græci, Latiniq. & Hieron. dicta quæ 11. ad Galat. & Aug. 2. de Civitat. ca. 19. August. D. Thom. supra quæ. 8. art. 3. ac ferè alij Patres supra citati.

*Obiectio.
2. Thessal. 2.
1. Ioan. 4.*

Responsio.

Matth. 17.

Chrysost.

Ambros.

August.

D. Thom.

Hieron.

SECTIO III.

Quales sint futuri Antichristi mores.

Oscendimus, proximè ante iudicium venturum quandam hominem singularem hostem Christi, & Sactorum eius, superest, ut mores, doctrinam, ac persecutionem eius exponamus. Ut autem de moribus dicamus, ab exordio vitæ eius initium sumendum est.

Principio igitur dicunt aliqui, ab initio suæ conceptionis ita fore à dæmone possidendum, ut omni eius malitia repleatur. Quo modo intelligunt, quod Paul. 2. ad Thess. 2. dicit *aduentum eius esse secundum operationem Satanae*, quocirca eum vocat hominem peccati, id est, diaboli (ut Sedulius exponit) non quod à diabolo generandus sit: sed quia omnem operationem diaboli in se suscipiet, ut ibi ait Theod. Et Occume. ibi asserit, Antichristum oblidendum, regendumque à Satana, & hæc sententia est Anselm. in Elucidar. & Aug. seu Raban. citato lib. de Antichristo. Est tamen sano modo intelligenda. Nam in primis (ut ex superioribus constat) dæmon non efficiet conceptionem Antichristi: operabitur autem (quantum in se erit) commouendo humores, & applicando agentia, & materiam, ut fiat temperamentum illius hominis maximè proportionatum, atque propensum ad vitia. Quod non aliaratione asseritur, nisi quia talis futura est vita Antichristi: ut videatur Deus, omnē licentiā dedisse dæmoni, ut totam suam malitiā, ac potentiam in illū exequatur. Et quia ille homo futurus est in omnibus maximè contrarius Christo, & ideo sicut Christus opera Spiritus sancti cōceptus est, ita in Antichristi cōceptio ne spiritus dæmonis eam præstabit operā, quam suo modo potest, & hoc fortasse sensu Hiero. Itai. 16. dæmonem appellat *patrem Antichristi*. Deinde observandum est non esse anticipandum Antichristo vsum rationis, ut eo sensu intelligatur replendus ab infantia omni malitia dæmonis. Illa enim anticipatio non potest fieri sine miraculo, quod nulla ratione fingendum est sine fundamento, & ad finem prauum. Dicit ergo potest replendus ab infania dæmonis malitia quia statim tradetur potestati dæmonis, ita ut de mon intelligat sibi permitti à Deo, ut omnibus modis eum teneat & ad malum inducat, & ideo ita illū etiam in infania circūueniet, & omnes eius motus, actusq. dirigit, ut semper fiat procliuor, & facilius ad malum. Et hoc etiam modo intelligendum est, esse oblidendū à dæmone, non quod iudicio priuandus sit

*2. Thessal. 2.
Sedul.*

*Theodori
Occume.
Anselm.
Raban.*

*Antichristi
stus ab initio
conceptionis
sua à dæmone
oblidendus
quemodo.
Hieron.*

aus sit, & libertate (sicut solent arreptitij cogi, aut deimentari a dæmone) alias non peccaret in actibus suis, quod est aperte contra Paulum, & alia Scripturæ testimonia. Sed dicitur obfidentus a dæmone, quia semper, & in omnibus eum dirigit, & gubernabit ab infantia sua. Quo sensu dixit Damasc. lib. 4. c. 27. Ex fornicatione parietur, atque omnem Satanā aflatum suscipiet. Deus etenim incredibilem quandam futuræ ipsius voluntatis peruersitatem prouidens, diabolum in eo domicilium sibi constituere sinet.

Secundo, postquam ad vsum rationis peruenerit dicunt aliqui scriptores (vt Anselm. in Elucidar. & Author libri de Antichristo inter opera Augu.) educandum eum fore in Corozaim, & Bethsaida. Quod vbi legerint, aut quo fundamentò dixerint, melatet. Fortassis moti sunt, quia illæ ciuitates maximæ incredulitatis, & obstinationis inculatæ a Christo sunt: sed hoc fundamentum nullius roboris est. Damasc. quidem dicto cap. 27. solum dicit, clam esse educandum. Quidquid verò sit de loco, & modo educationis eius, omnes tamen docent, a principio esse imbuendum omnibus iniquis moribus, ac prauis artibus, & a maleficis & ariolis instruendum, & præsertim astutia dæmonis. De quo Cyrill. Ierosol. cat. 15. Inducet (ait) quemdam magnum hominem (sic vocat Antichristum) veneficis, & incantationibus, & malis artibus instructissimum: Et inferius de moribus illius loquens dicit, talem futurum, vt omnes qui ante illum improbi, & impij fuerint, excellat malitia, mentemque habeat homicidariam, præfatiā, immisericordem & variam. Quæ omnia in diuinis literis magnum fundamentum habent. Primum, quia illa epitheta,

Damas.

Anselm. Aug.

Marth. 11.

Damas.

Cyrill.

2. Thessal. 2.

Dan. 8.

Mores Antichristi quales.

2. Thessal. 2.

Dan. 7.

Dan. 8. & 11.

Greg.

August. Ioann.

Dan. 11.

D. Thom.

2. ad Thess. 2. Homo peccati, filius perditionis, ille iniquus, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni seductione iniquitatis: & illud Dan. 8. Cum creuerint iniquitates, conuerget Rex impudens facie. hæc, inquam, & familia indicant ingentem malitiam, & corruptissimos totius vitæ mores, adeo, vt aliqui sentiāt, nunquam esse bene moraliter operaturum. Quod licet sit incertū tamen, non est incredibile. Deinde, quia expresse prædicuntur de illo cum magna exaggeratione immania vitia, quæ sunt fontes aliorum. Primum, ac præcipuum est superbia, de qua dicitur 2. ad Thess. 2. Extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus: & Dan. 7. Sermones contra excelsum loquetur, & putabit, quod possit mutare tempora, & leges, & c. 9. Cor suum magnificabit, & c. 11. Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica. Propter quæ Greg. lib. 4. Epistol. 38. Regem superbia, Antichristum vocat, indicans, eum in hoc vitio posse fere cum Lucifero conferri. Colligitur enim ex dictis locis peruenturum eum ad superbiæ fastigium, præsertim tunc, cum rebus omnibus potius fuerit, antea verò totum virg sue cursum ad eam gloriam obtinendam esse institutum. Vnde Aug. tract. 29. in Ioan. conferens, atq; coniungens illa verba Christi. Qui a semetipso loquitur, propriam gloriam querit: cum illis, alius veniet in nomine suo, & hunc suscipiet, dicit, eum, qui veluti per antonomasiam gloriam propriam querit, esse Antichristum, Qui gloriam nominis sui quasiuus est, inflatus, non solidus, non stabilis: sed virg, ruinosus, in quo iniustus est, non veritas. Tribuitur præterea illi Dan. 11. quod erit in concupiscentijs seminarum, quod Deum patrum suorum non reputabit: denique, quod omnia faciet iuxta voluntatem suam: vt ostendamus homicidia, & crudelissimam tyrannidem, de qua postea dicendū. Erit ergo omnium hominum iniquissimus. Propter quod, Caput iniquorum dicitur, vt supra dixit D. Th. q. 8. art. 7. An verò idolorum etiam cultor futurus sit, dicemus scilicet sequenti.

Ex ijs autem colligunt aliqui, pauld postquam exierit Antichristus rati one vti, ab Angelo custo-

de desertum iri, propter nimiam eius malitiam, & pronitatem ad malum. Quam sententiam tribuit D. Th. Viguerius in institutionib. c. 21. §. 3. Vers. 3. Ego verò in D. Tho. id non reperi. At Anton. 4. patit. 13. c. 4. §. 3. sic inquit, Quamuis Angelus bonus ei non subtrahetur ad custodiam: tamen postquam inripit malitia vti nullum effectum custodiæ in eum exercebit, eo obstinato. Itaque non est verisimile, esse deserendum ab Angelo custode, quantum est (vt sic dicam) ex parte Angeli, quia semper paratus erit ad custodiendum illum, & ad suggerendum bona, & auertendum a malis. Quia quamdiu ille est viator, commissus erit curæ, & custodiæ sui Angeli. Item quia neque existimandum est, Deum illi denegaturum gratiam suam sufficientem, & necessariam, quantum est ex parte Dei, seu (quod idem est) si ipse impedimentum non posuerit. Est autem verisimile tantam fore Antichristi malitiam, ac tam frequentem vsum operandi, & cogitandi mala, tantamq; cum dæmone familiaritatem, & coniunctionem, vt vix vnquam det locum alicui bonæ inspirationi, aut effectui spiritali Angelicæ custodiæ, aut diuinæ gratiæ.

Tertio obseruant Patres, præsertim Cyrill. Ierosol. cat. 15. & Damasc. dicto c. 27. & Hippol. in li. de conf. mun. licet ab ineunte ætate Antichristus flagitiosissimus futurus sit, ac crudelissimus: tamen in principio simulaturum, & boni specimen præbiturum, vt Iudæos possit decipere, & paulatim regnum tyrannice occupare. Constat enim ex sententia horum Patrum, & reliquorum, quod licet Antichristus non mittetur a Deo: venire tamen permittetur, vt Aug. loquitur tract. 29. in Ioan. in fine, sic tacite exponens illud 2. Thess. 2. Mittet illi Deus operationem erroris, id est venire permittet. Interdum enim ita Scriptura loquitur de permissione, ac si res a Deo fieret, vt declararet (quasi per exaggerationem) iustitiam, & vindictam Dei, & infallibilitatem effectus, qui consequeretur. Hoc ergo sensu mittetur Antichristus, seu veniet, vt Iudæos decipiat in penam incredulitatis suæ vt insinuat Christus illis verbis. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quod clarius explicuit Paulus citato loco, vt ibi notarunt omnes interpretes, & Hieron. dicta q. 1. ad Gal. & Iren. dicto lib. 5. contra hæres. Gregor. 13. moral. cap. 16. & Hilar. canon. 25. in Matth. Cum ergo hoc sit futurum primum, ac præcipuum Antichristi institutum, vt Iudæos fallat, eisque persuadeat se esse Christum, & Mesiam, non est dubium, quin aliquo saltem tempore ita sit mores suos simulaturus, vt facilius possit Iudæos decipere, & ab eis suscipi, crediq; Mesias. Ostendit ergo se benignum, & humanum (vt Cyrill. Ierosol. dicit) & bonitatis speciem præ se feret (vt ait Damasc.) & quoniam ipsi regem temporalem, bonaque temporalia præcipue sperant, in ijs elargiendis maximè se liberalem ostendet, ijs enim rebus abundabit, vt infra videbimus. Adiungit etiam aliqua signa, de quibus postea etiam dicturi sumus: atque ijs modis tandem efficiet, vt a Iudæis pro Mesia recipiatur. Cum autem rerum potius fuerit (inquit Dam.) omnem suam peruersitatem depromer. Quæ omnia, supposito prædicto fundamento per se sunt credibilia, & ex ijs, quæ dicemus, verisimiliora fient.

Atque ex ijs colligi potest vna ex potissimis causis, ob quas Deus permittitur esse, vt dæmon in illum hominem tantam habeat potestatem, vt ad omnem iniquitatem, & deceptionem eo quasi organo proprio vti possi. Causa enim erit ad conuincendam Iudæorum perfidiam, vt qui verum Christum, honestissimosq; illius mores, & verissima, stupendaq; miracula reuereri, & sectari noluerūt, falsum Christum, falsaq; miracula suscipiant, & improbiissimos mores imitentur. Permittit etiam hoc Deus ad ostendendam gratiam suam, & benignissimam prouidentiam erga homines, vt hoc exemplo constet,

Hhh 4 quan-

Antonin.

Antichristus simulator, & insensibilis, Cyrill. Ierosolym. Damasc. Hippolyt.

August. 2. Thessal. 2.

Hieron. Iren. Hilar. Greg.

Cyrill. Damasc.

quanta sit hominis fragilitas, quantaq; demonis efficacia ad superandum illum, si Deus permisisset. Item ex illius hominis perversitate, & malitia fumet Deus occasionem exercendi Sanctos suos, & illusterrimas victorias per illos obtinendi, ut recte dixit Hippolyt. lib. de consummat. mundi, & inferius latius dicturi sumus. Tandem Iren. lib. 5. cap. 29. sic inquit, *Propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis, & omnis doli, ut in ea confluent, & conclusa omnis virtus apostolica, in caminum mittatur ignis.*

Hippolyt.
Iren.

SECTIO IV.

Quæ sit futura Antichristi doctrina, & modus suadendi illam.

Quæstio hæc solum intelligitur de doctrina, quæ in diuinarum rerum cognitione, seu fide consistit, & fundamentum est religionis, diuini cultus. Nam de aliarum rerum sententia, & cognitione nihil nobis est de illo reuelatum, neque ad institutum nostrum quicquam spectat. Duo autem inquiri possunt. Primum quid reuera ipse sentiet de Deo, ac rebus alijs, quæ ad salutem animæ pertinent. Secundo, quid exterius docebit, ac persuadere conabitur. Dicemus autem prius de hac posteriori parte, quia illa poterit esse hominibus notior: ex decisione vero eius aliquid postea de priori conieciabimus.

Primum igitur, ac veluti fundamentum doctrinæ Antichristi erit, Iesum Christum Dominum nostrum non fuisse verum Messiam, neq; filium Dei; neque hominum saluatorem, & consequenter totam eius religionem, & sacramenta esse vanam superstitionem, & è contrario Moyse legem esse seruandam, circumcisionem retinendam, &c. Hæc omnia colliguntur primo ex ipso nomine Antichristi. Ideo enim sic per antonomasiam appellatus est, quia potissimum eius institutum erit, Christum negare, & è medio tollere. Quod plane docuisse videtur

Joan. 2.
Primum Antichristi doctrina & institutum, Christi diuinitatem & religionem negare.

Matth. 24.

Dan. 7.

Greg.

Hippolyt.
Hieron.
August.
Chrysost.

Joan. 1. can. c. 2. dicens. *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum, & hic est Antichristus?* Et in Græco ponitur articulus, & quo significatur hoc fore potissimum dogma & institutum illius, qui propriè Antichristus appellatur. Secundo hoc probatur ex ijs, quæ supra dicta sunt, quod Antichristus primum omnium incipiet doctrinam suam Iudæis suadere, ut ab eis pro Messia recipiatur: ergo necesse est, ut prius suadeat, nullum alium esse verum Christum, seu Messiam. Hoc quoque significauit Christus Matt. 24. vbi de temporibus Antichristi loquens, nos monet, *Si quis nobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetae.* Significat ergo Antichristum negaturum verum Christum, & alium falsum introducendum. Tertio ex effectibus idem constat. Nam hæc de causa faciet bellum aduersus Sanctos, & Ecclesiam Christi oppugnabit, & vniuersa Sacramenta, ac iuge sacrificium auferet (ut constat ex Daniel. 7. 11. & 12. & infra sect. 6. latius explicabimus) ergo signum euidentis est odio habiturum Christum, eumque precipuè, & totam eius religionem esse euersurum. Et hinc è contrario facile credi potest instauraturum Mosaisas ceremonias, saltem in principio, cum suos instillare genti suæ errores ceperit. Quia nulla alia ratione poterit eis melius persuadere, se esse Messiam, cum illi existiment legem Moysis esse perpetuo duraturam. Vnde Gregor. libr. 11. Episto. 3. eos, qui docent, legis ceremonias esse obseruandas, Antichristi prædicatores vocat, Nam ille (inquit) *Iudæis are populum compellet, ut exteriorem ritum legem reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat.* Similia docet Hippolyt. dicta orat. de consum. mun. Hieron. Dan. 11. August. 20. de Ciuit. cap. 8. Chrysostom. & alij Græci. 2. ad Thessal.

A 2. circa illa verba, *Nisi veneris disceptio primum, vbi per discessionem apostasiam à Christo interpretantur, & intelligunt, ea voce significare ipsum Antichristum.* Quia erit multis causis recedendi à Christo, & quia hoc erit potissimum eius institutum.

Secundo dicendum est, Antichristum in initio doctrinæ suæ persuasurum Iudæis se esse Messiam in lege promissum. Excluso enim vero Messia, nihil ei restabat aliud, neque de eius superbia, & ambitione aliud sperari poterat, quam ut se Messiam simularet. Hoc intelligunt Patres significasse Christum illis verbis. Si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Quamquam enim videatur sermo conditionalis tamen ab omnibus Patribus supra citatis intelligitur esse absoluta prophetia de Antichristo, ut illa particula, si, posita sit pro, cum, vel, quando. Deinde idem significatur in verbis illis Matth. 24. Si dixerint vobis, ecce hic est Christus, aut ecce illic, ut notat Cyrill. Ierosolym. dicta cat. 15. dicens venturum Antichristum se ipsum Christum vocantem, ac per hanc Christi appellationem Iudæos, qui venturum expectant, decipientem: & infra. Ac primum quidem tanquam prudens aliquis, & intelligens, temperantiam, atque humanitatem simulabit, signisque, & portentis magica impostura decipiet Iudæos, tanquam is esset Christus ab illis expectatus. Addit etiam Ambros. libro. 10. in Lucam, cap. de signo appropinquantis desolationis, quod erit etiam ex Scriptura disputans se esse Christum. Denique reliqui omnes, qui de Antichristo scribunt, præsertim Irenæus Hippolyt. & Hiero. dicunt esse suscipiendum à Iudæis ut verum Messiam, & hoc esse futurum initium tyrannidis eius, ergo.

Antichristum in principio doctrinæ suæ Messiam se esse mentisur. Ioan. 5.

Matth. 24.
Cyrill.
Ierosolym.

Ambros.

Iren.

Hippolyt.

Hieron.

Tertio dicendum est, Antichristum docturum, ac persuasurum hominibus, ut credant, nullum esse verum Deum præter seipsum: verisimile autem est, non esse hoc docturum, donec rerum omnium potiarur. Prior pars probatur ex Paulo 2. ad Thessal. 2. Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus, seu (ut habent Græci codices, & alij Latini) ostendens se quasi sit Deus, igitur inducet homines ut se tantum venerentur, & recognoscant ut Deum, & ut excellentiorem, ac potentiorem omni illo, qui hætenus nominatus est Deus. Hoc enim est extollere se supra omne, quod dicitur Deus, ut ibi exponunt Chrysostom. Ambros. & alij, & idem Chrysostom. hom. 49. in Ioan. Iren. autem lib. 3. c. 6. putat Paulum loqui tantum de idolis, non de vero Deo. Quia loquitur de ijs, qui dicuntur Dij, non tamen de eo, qui est verus Deus. Tamen cum Paul, hunc non excludat, qui maxime dicitur Deus, sed generaliter loquatur de omnibus, simpliciter intelligendus est, præsertim cum dicat, Antichristum seipsum ostensurum Deum, quia necesse est, ut introducendo se falsum Deum, verum excludat. Præterea hoc aperte confirmat Daniel cap. 11. dicens, *Eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum Patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.* Quæ verba adeo perspicua sunt, ut nulla egeant expositione.

2. Thessal. 2.

Chrysost.
Ambros.
Iren.

Dan. 11.

Oritur tamen ex verbis sequentibus difficultas, Obiectum. Quia ex dictis sequi videtur, Antichristum ablaturum idola, & illorum cultum. Id enim expresse videtur asserere Paul. & Daniel, vnde Iren. libro tertio capite sexto, & libro quinto, capite vigesimo quinto, tractans hæc loca dicit. Antichristum ablaturum omnia idola. Idem sentit Hugo Aetherianus libro de regressu animarum, capite 23. & Cyril. Ierosolym. cat. 15. dicens, *Odio habebit idola.* Idem Hippolyt. supra Chrysostom. cum alijs Græcis. 2. ad Thessal. 2. Hieronymus super Daniele, & dicta questione 11. ad Algisiam: consequens autem videtur esse contra eundem Daniele capite vndecimo dicentem, *Deum autem Mæozin in loco suo venerabitur, & Deum quem*

Obiectum.

Iren.

Hugo.

Cyrill.

Hippolyt.

Chrysost.